DE ORATIONE IN ERATOSTHENEM TRIGINTAVIRUM LYSIAE FALSO TRIBUTA.

SCRIPSIT

A. HECKER,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

In orationibus, quas tamquam a Lysia scriptas lectitamus et in integrum restituere studemus, nulla est, quae ipsius nomine magis quasi sacrata sit quam oratio in Eratosthenem. Quum enim hanc unam causam de caede fratris Polemarchi ipse egerit et oraverit Lysias et haud pauca de rebus suis prolocutus sit, haec oratio habita est fons integerrimus, ex quo oratoris vita sit concinnanda. In quem finem ipsi veteres ea usi sunt. Nonnulla inde deprompsit in vitam Lysiae Pseudo-Plutarchus, ut constet iam eius, quacunque vixerit aetate, pro Lysiaca habitam esse orationem. Haec lustrare nihil opus. Eadem saepius usus Harpocratio in Lexico, nusquam addidit, quod in aliis dubiae fidei orationibus circumspecte addere solet: *εἰ γνήσιος ὁ λόγος;* genuinam igitur putavit. Quo firmioribus mihi utendum video argumentis, si eam non a Lysia scriptam et omnium minime genuinam esse evincere velim. Et iam statim dubium oboritur an per leges Lysiae licitum fuerit in iudicio hanc causam coram agere. Nemini enim nisi civi licitum erat aliquem reum agere. De quo ipsius Lysiae describam verba c. Agorat. §. 73. *οὕτω μέντοι οὗτος πολὺ* (1) *ὑμῶν καταφρονεῖ, ὥστε οὐκ ὢν Ἀθηναῖος καὶ ἐδίκαζε καὶ ἐξεκλησίαζε καὶ γραφὰς τὰς ἐξ ἀνθρώπων ἐγράφετο, ἐπιγραφόμενος Ἀναγυράσιος εἶναι.* Lysias autem non fuit civis Atheniensis, sed inquilinus, per patronum igitur cum populo agendum erat. At inquilinos honoratiores, quorum fuit Lysias *ἰσοτελὴς ὤν*, praeterquam quod *μετοίκιον* non solvebant, patrono cive non usos esse consentiunt Antiquitatum Atticarum peritissimi viri, etiam Boeckhius Oecon. Att. II. p. 78. Qui iure summo adversatus aliorum sententiae iis ad rempublicam accedere licuisse, nullum tamen dubium esse ait, quin patrono cive iis minime utendum fuerit. Quod miror quare Boeckhius auctoritate sua affirmare, quam argumentis ex hac, de qua disputamus, Lysiae oratione petitis firmare maluerit. Quum vero mihi neganti fidem habitum iri neque putem neque velim, in re non negando sed refutando conficienda, Boeckhio affirmanti credere tutius, nisi certis argumentis rem dirimere possis controversam. Scrupulus mihi remanet propter ipsum *ἰσοτελῶν* nomen, quod explicandum secundum Grammaticos: *τὰ ἴσα τοῖς ἀστοῖς τελοῦντες.* Pollux VIII. 155. *ἰσοτελὴς ὁ μέτοικος ὁ τιμηθεὶς μὴ ταὐτὰ τοῖς μετοίκοις τελεῖν.* Pariter Timaeus: *ἰσοτελής, ὁ χωρὶς ζημίας ἐπιδημῶν ἴσα τοῖς πολίταις.* Aliorum enim testimonio, ut Ammonii: *ἰσοτελής, ὁ τετιμημένος μέτοικος ἐν*

(1) Corrigendum videtur: *οὗτος μ. τοσοῦτον ὑμῶν κατεφρόνει*, et: *τὰς ἐξ ἀνθρώπων γραφὰς ἐγράφετο.*

τῷ ἴσῳ τάγματι τοῖς πολίταις, καὶ τὸ μὲν μετοίκιον μὴ τελῶν, πάντα δὲ ἔχων τὰ αὐτὰ τοῖς πολίταις, πλὴν τοῦ ἄρχειν, quum nimium probetur, probatur nihil. Tribubus et pagis non adscribebantur *ἰσοτελεῖς*, iisque adeo neque suffragium in comitiis ferre neque ad rempublicam accedere licebat. Nec error tantum, sed erroris etiam fons monstrari potest. Confudit nempe Ammonius inquilinos *ἰσοτελεῖς* et cives adscitos, *δημοποιήτους*. His omnia iura civilia tribuebantur, sed arcebantur magistratu novem archontum, quod non essent *ἐκ τριγονίας* cives. Et, ut paria componamus, quis in hoc nomine *ἰσοτελείας* aliam interpretandi rationem probandam putet quam in *ἀτελείας* et *συντελείας* nominibus? Harpocrationis quoque verba: *ἰσοτέλεια· τιμή τις διδομένη τοῖς ἀξίοις φανεῖσι τῶν μετοίκων, καθ' ἣν καὶ ἡ τοῦ μετοικίου ἄφεσις αὐτοῖς ἐγίγνετο, ὡς Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Σώστρατον ὕβρεως, εἰ γνήσιος· ὅτι δὲ καὶ τῶν ἄλλων, ὧν ἔπραττον οἱ μέτοικοι, ἄφεσιν εἶχον οἱ ἰσοτελεῖς, Θεόφραστος εἴρηκεν ἐν ἑνδεκάτῃ τῶν Νόμων*, (1) ita mihi videntur explicanda, ut remissa iis fuisse *σκαφηφόρων, σκιαδηφόρων, ὑδριαφόρων* ministeria tradiderit Theophrastus; nullum vero tributum fuerit ius. Haec enim ministeria ab inquilinis non praestita et *μετοίκιον* non solutum una eademque actione persequebantur. Cf. Pollux III. 57. *ἀδιάτακτοι δὲ καλοῦνται οἱ μὴ ἐγγεγραμμένοι εἰς τοὺς μετοίκους δέον, ἢ μὴ τελοῦντες τὸ μετοίκιον, ἢ τὴν σκάφην μὴ φέροντες, οὓς δὴ γραψάμενός τις τῶν ἀδιατάκτων εἶναι διήλεγχεν.* Unicum iam, quod noverim, relictum est contrariae sententiae probandae argumentum in Xen. Hell. II. 4. 25. *πρὶν δὲ ἡμέρας δέκα γενέσθαι, πιστὰ δόντες, οἵτινες ξυμπολεμήσειαν, καὶ εἰ ξένοι εἶεν, ἰσοτέλειαν ἔσεσθαι, ἐξῄεσαν πολλοὶ μὲν ὁπλῖται, πολλοὶ δὲ γυμνῆτες.* Ex quo loco effici possit *ἰσοτελείας* munere non unam illam *μετοικίου* solvendi remissionem, sed plures etiam tributas esse immunitates. Sed corrupta sunt Xenophontis verba. Civibus enim hic honor haberi non potuit. De quibus maxime sermonem esse patet ex verbis additis: *καὶ εἰ ξένοι εἶεν.* Corrigendum: *ἰσοπολιτείαν.* (2)

In ipso Lysia plures sunt dubitandi causae. Quidni, mature *ἰσοτελὴς* factus, aut prius aut posterius causas ipse oravit, sed orationes scripsit? Orationem quidem postea inscriptam *περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν* i. e. pro lege lata a Thrasybulo de Lysia, ut civis esset, ab ipso habitam esse nemo memoriae prodidit. Lysiae inquilino mandatum fuisse publice ut oratione funebri laudaret cives Atticos in bello Corinthiaco caesos, idque aequo animo tulisse oratores cives illius aetatis, vix credibile. Quare qui orationem Lysiae tribuunt, scholasticam esse declamationem statuant necesse est. (3) Socrati postea Lysias ***scriptam orationem*** attulisse fertur, qua pro se in iudicio uteretur. Cicer. de Or. I. 54. 231. Idem alio loco Brut. IX. 35. Lysiam dicit ***ipsum quidem in causis forensibus non versatum***, sed egregie subtilem ***scriptorem***. Quod vero ib. XVI. 63. scripsit Cicero Lysiam Athenis esse et natum et mortuum et ***functum omni civium munere***, male interpretatus est

---

(1) Harpocr. v. *Σκαφηφόροι. Δημήτριος ἐν τρίτῳ Νομοθεσίας φησὶν ὅτι προσέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκοις ἐν ταῖς πομπαῖς αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν, τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιαδεῖα. διείλεκται περὶ τούτων καὶ Θεόφραστος ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Νόμων.* Utroque loco sive *δεκάτῳ* sive *ἑνδεκάτῳ* vel *ἑνδεκάτῃ* scribendum.

(2) Ibid. § 23. *ὅσοι δὲ ἐπίστευον μηδὲν ἠδικηκέναι, αὐτοί τε ἀνελογίζοντο καὶ τοὺς ἄλλους ἐδίδασκον, ὡς οὐδὲν δέοιντο τούτων τῶν κακῶν, καὶ τοῖς τριάκοντα οὐκ ἔφασαν χρῆναι πείθεσθαι* corruptum est *ἐπίστευον.* Corrigam *ἠπίσταντο.*

(3) Scholam redolent verba § 2. *ὅμως δὲ ὁ μὲν λόγος μοι περὶ τούτων, ὁ δ' ἀγὼν οὐ πρὸς τὰ τούτων ἔργα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πρότερον ἐπ' αὐτοῖς εἰρηκότας.* Mihi oratio non a Lysia videtur scripta esse.

Schoemann. de Comit. p. 81. quasi scriptum esset: omnibus reip. functum muneribus. Hoc dicit Cicero: Lysias peregrinus licet natalibus omnes officii civis Attici implevit partes, amantissimus reipublicae, optimatium factionis adversarius nec tamen homo factiosus, si non civis, certe pro cive fuit. In tantis calamitatibus opera eius reipublicae non defuit eaque fuerunt merita, ut ipse Thrasybulus legem de Lysia cive adsciscendo ad populum ferret. Quod plebiscito ratum irritum reddidisse Archinum auctor est personatus Plutarchus l. l. p. 835. F. *ἐφ' οἷς γράψαντος αὐτῷ Θρασυβούλου πολιτείαν μετὰ τὴν κάθοδον ἐπ' ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου, ὁ μὲν δῆμος ἐκύρωσε τὴν δωρεάν, ἀπενεγκαμένου δ' Ἀρχίνου γραφὴν παρανόμων διὰ τὸ ἀπροβούλευτον εἰςαχθῆναι ἑάλω τὸ ψήφισμα καὶ οὕτως ἀπελαθεὶς τῆς πολιτείας τὸν λοιπὸν μετῴκησε χρόνον ἰσοτελὴς ὤν.* (1) Componenda, quae hinc illustrentur, Aeschinis verba c. Ctesiph. §. 196. *Ἀρχῖνος γὰρ ὁ ἐκ Κοίλης ἐγράψατο παρανόμων Θρασύβουλον τὸν Στειριᾶ, γράψαντά τι παρὰ τοὺς νόμους, στεφανοῦν ἕνα τῶν συγκατελθόντων αὐτῷ ἀπὸ Φυλῆς, καὶ εἷλε νεωστὶ γεγενημένων αὐτῷ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ ὑπελογίσαντο οἱ δικασταί· ἡγοῦντο γάρ, ὥσπερ τότε αὐτοὺς φεύγοντας ἀπὸ Φυλῆς Θρασύβουλος κατήγαγεν, οὕτω νῦν μένοντας ἐξελαύνειν γράφοντά τι παρὰ τοὺς νόμους.* Quodsi vere coniicimus hoc de Lysia cive plebiscitum ab Aeschine respici — et optime sane temporum rationes congruunt, quum alter latum tradat statim post reditum in urbem, *ἐπ' ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου*, alter *νεωστὶ γεγενημένων τῶν Θρασυβούλου εὐεργεσιῶν* — ipsa re docemur imperitum glossatorem allevisse vocem *στεφανοῦν*, ut in eadem in qua Aeschines causa versatus dicatur Archinus. In duobus codicibus *στεφανοῦν* non scriptum adeoque ab editoribus uncis seclusum est a reliqua oratione. Quo facto omnia mihi turbari videntur. Thrasybulus enim dux exsulum, *ὁ καταγαγὼν τοὺς φεύγοντας*, dici nequit: *εἷς τῶν συγκατελθόντων Ἀρχίνῳ*, dici vero possit: *ὁ συγκαταγαγών*, ut idem Archinus vix paullo ante §. 188. dicitur *εἷς τῶν καταγαγόντων τὸν δῆμον.* Alterum vero optime quadrat in civem aliquem minus nobilem quem aurea corona donaverint Athenienses. Insuper verba: *γράψαντά τι παρὰ τοὺς νόμους* ex fine sententiae repetita et ad *παρανόμων ἐγράψατο* adiecta omnino supervacanea sunt. Quapropter omnia illa: *γράψαντα — Φυλῆς*, quorum verborum alius atque alius in codicibus ordo, ut glossema delenda censeo. Nonnihil quoque corrupti in posterioribus Aeschinis verbis: *ὥσπερ τότε αὐτοὺς φεύγοντας ἀπὸ Φυλῆς Θρασύβουλος κατήγαγεν, οὕτω νῦν μένοντας ἐξελαύνειν.* Quae enim sit vis vocabuli *μένειν*, ubi oppositum *φεύγειν*, patet ex Oraculi versu: *φεύγειν μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.* Aliquot codices *μέλλοντας* praebent pro *μένοντας*, in quo nihil praesidii. Requiritur vox, quae opponatur vocabulo *φεύγων*, i. e. exsul. Quod est *κατελθόντας*. Ipsum vero illud quod mihi constet scripsisse oratorem, ad manus non est, neque certius quicquam afferre possum de Plutarchi verbis subsequentibus l. c.: *φέρονται δ' αὐτοῦ λόγοι υκε'· τούτων γνησίους φασὶν οἱ περὶ Διονύσιον καὶ Καικίλιον εἶναι σλγ', ἐν οἷς δὶς μόνον ἡττηθῆναι λέγεται. ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ ὃν ὑπὲρ τοῦ ψηφίσματος ἐγράψατο Ἀρχῖνος, τὴν πολιτείαν αὐτῷ περιέχων καὶ κατὰ τῶν λ' ἕτερος.* Ita libri. Quod coniecit Taylorus: *ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ ὁ ὑπὲρ τοῦ ψηφ., ὃ ἐγράψατο Ἀρχῖνος, τὴν πολιτείαν αὐτοῦ περιελὼν κτέ.* in ver-

(1) Scripsi *μετῴκησε* pro vulgato *ᾤκησε*. Eadem opera scripturus eram *ἀπενεγκόντος* pro *ἀπενεγκαμένου*. Graece enim dicitur *ἀποφέρειν γραφήν*. Quod rectum. Occurrit tamen Harpocr. in v. *γραφή* „*παρανόμων γραφὴν ἀποφέρεσθαι καὶ γράφεσθαι λέγεται.*" Nisi hic quoque *ἀποφέρειν* scribendum.

borum ordinem recepit Westermannus in Biograph. Graec. p. 242. 42.; ineptum igitur esse consentaneum. Aptius ad sententiam haec ita emendari voluit Wyttenbachius, ut utramque hanc causam actor, Lysiae oratione usus, non vicisse dicatur. Sed quod reposuit, ad sermonem scabrum et parum Graecum videtur. Difficile est in hac farragine rerum undecunque consarcinatarum et nullo recto ordine consutarum certi quicquam statuere. Neque hoc nunc ago. Illud urgeo, nobilissimos inter Graecos criticos, homines literatissimos, Dionysium et Caecilium iam Augusti aevo centum nonaginta duas orationes ut suppositicias segregasse neque plus dimidiam partem orationum, quae Lysiae nomine ferebantur, genuinam habuisse.

Nec non alterum me advertit Lysiam scripsisse orationem in Trigintaviros (1). Quod mihi parum verosimile videtur. Alienissimum enim ab Atheniensium moribus et more publice recepto mihi visum erat Trigintaviros Athenis vitam per otium degisse, bona eorum non publicata, domos non ab imis fundamentis disiectas, corpora mortuorum non extra fines Atticae proiecta, superstites neque malos cives, proditores patriae et hostes iudicatos nec iis aqua et igne interdictum esse. Saltem bona eorum publicata esse constat testimonio Philochori, hominis diligentissimi, apud Harpocr. in v. *πομπεῖα· πομπείοις δὲ, φησὶ Φιλόχορος, πρότερον ἐχρῶντο οἱ Ἀθηναῖοι, τοῖς ἐκ τῆς οὐσίας τῶν τριάκοντα κατασκευασθεῖσιν, ὀψὲ δὲ, φησὶ, καὶ Ἀνδροτίων ἄλλα κατεσκεύασεν.* Neque minus luculenter Xenophon in Hellen. II. 4. 38. *οἱ δὲ διήλλαξαν, ἐφ᾽ ᾧ τε εἰρήνην ἔχειν ὡς πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἑκάστους πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα* (2), *εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ ἄστεος, ἔδοξεν αὐτοῖς τὴν Ἐλευσῖνα κατοικεῖν.* Non me latet diversa tradere Andocidem de Myster. c. 15. *φέρε δὴ τοίνυν, οἱ ὅρκοι ὑμῖν πῶς ἔχουσιν; ὁ μὲν κοινὸς τῇ πόλει ἁπάσῃ, ὃν ὀμωμόκατε πάντες μετὰ τὰς διαλλαγὰς, καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων, ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς, ἧς ἦρξεν* (3). Neque hoc discrimine utar, quo arguam hominem inconcinne blaterantem Andocidis nomen mentiri, quod in aliud tempus reiicio. Respicienda quae finxit falsarius, qui hanc sive in Trigintaviros sive in Eratosthenem scripsit orationem. Qui §. 35. *ὅσοι δὲ ξένοι ἐπιδημοῦσιν, εἴσονται πότερον ἀδίκως τοὺς τριάκοντα ἐκκηρύττουσιν ἐκ τῶν πόλεων ἢ δικαίως. εἰ γὰρ δὴ αὐτοὶ οἱ κακῶς πεπονθότες λαβόντες ἀφήσουσιν, ἦπου σφᾶς αὐτοὺς ἡγήσονται περιέργους ὑπὲρ ὑμῶν τειρομένους.* Ubi, nisi fallor, scribendum erat: *περιέργους ἡγήσονται.* Ex-

(1) In Plut. l. c. conieci: *κατὰ τῶν υ᾽ ἕτερος.* Quadringentorum causa in senatu acta; v. Plut. Vit. Antiph. p 833 D.

(2) Hos decemviros commemorat Xenophon etiam ib. §. 19. Secundum Plut. Lysand. 15. Lysander *τὰ περὶ τὴν πολιτείαν ἐκίνησε, τριάκοντα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ᾽ ἐν Πειραιεῖ καταστήσας ἄρχοντας.* In Harpocr. v. *Μόλπις: »οἱ δ᾽ ἄρα μετὰ τοὺς τριάκοντα δέκα ἄρχοντες ἦρχον ἐν Πειραιεῖ, ὧν εἷς ἦν ὁ Μόλπις, ὡς Ἀνδροτίων ἐν τρίτῃ Ἀτθίδος.«* recte Valesius: *μετὰ τῶν τριάκοντα.* Pollux IX. 101. *τοῖς τετταράκοντα τοῖς μετὰ τοὺς τριάκοντα προστᾶσιν Ἀθήνησι συνῆρξεν Εὐριπίδης,* haud dubie intellexit quadraginta *κατὰ δήμους δικαστάς*, de quibus v. VIII. 100. Harpocrat. in v. Sed voce *προστᾶσιν* non nisi de Trigintaviris, quibus rerum summa commissa, uti licet. Igitur omnino non aut imperite usus est Pollux. Emendandum puto: *καταστᾶσιν.*

(3) Valesius coniecit: *καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν δέκα*, ut nihil deesset. Sed ne quis in errorem inductus Decemviros suffectos Trigintaviris intelligat, quod fecit Reiskius, addendum fuisset: *καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα.* Equidem nihil desidero; aequalem vero Andocidis accuratius rem enuntiaturum fuisse puto. Alterum vitium sermoni insidere videtur. Attici ubique hanc pacem *ὅρκους* dixerunt. Quod est foedus iureiurando sancitum. Sed Andocides unus hoc loco singulari et plurali promiscue usus est. Caeterum Decemviros collegas Trigintavirorum et Trigintaviris suffectos confudit etiam Nepos Thrasyb. III. 1.

sules igitur fuerunt Trigintaviri; qui enim fieri potuit ut reliquae Graeciae civitates eos agrorum finibus cedere iuberent, nisi exsulantes? Jam vero quod scripsit §. 80. *μηδ' ἀποῦσι μὲν τοῖς τριάκοντα ἐπιβουλεύετε, παρόντας δ'ἀφῆτε· μηδὲ τῆς τύχης, ἣ τούτους παρέδωκε τῇ πόλει, κάκιον ὑμῖν αὐτοῖς βοηθήσητε*, Trigintaviros casu in Atheniensium manus venisse, id ab alio scriptore memoriae proditum vix credibile ducerem, ab hoc vero homine ineptissimum commentum. Et hoc quidem loco suis ipsius telis conficiendus est. Verba enim: *τῆς τύχης, ἣ τούτους παρέδωκε τῇ πόλει*, et *οἱ κακῶς πεπονθότες λαβόντες* §. 35. et §. 85. aut nullo sensu dicta sunt aut hoc: Trigintaviros exsules ab Atheniensibus captos et captivos Athenas abductos esse. Quod si factum, quis credat Lysia accusatore opus fuisse ut in ius vocarentur, eosque non alius criminis quam caedis Polemarchi reos actos fuisse? Pariter incredibile Trigintaviros exsules gregatim Graeciae insulas et urbes oberrasse et a civibus traditos in Atheniensium potestatem venisse omnes. Sed si capti et in vincula coniecti fuerunt, accusati vadimonium deserere non potuerunt, et in iudicio causa iis oranda fuit. Sed audaciae eorum tribuit Orator §. 84. quod Eratosthenes *οὐχ ἑτέρων ὄντων τῶν δικαστῶν, ἀλλ' αὐτῶν τῶν κακῶς πεπονθότων, ἥκει ἀπολογησόμενος πρὸς αὐτοὺς τοὺς μάρτυρας τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας* et §. 85. de omnibus Trigintaviris scribit: *οὔτ' ἂν νῦν ἐπεχείρησαν ἐλθεῖν, μὴ ὑπὸ τῶν αὐτῶν οἰόμενοι σωθήσεσθαι.* Ubi, ni fallor, parum Graece dictum *ἐπεχείρησαν* pro *ἐτόλμησαν.* Rei haud dubie, si fieri potuisset, fuga sibi consuluissent. Neque sponte Athenas eos rediisse verosimile, nisi conversione rerum facta, quae Athenis facta non est. Sed fac haec omnia non pro re conficta esse: bona tamen Trigintavirorum, tunc quum reditu in urbem prohiberentur, publicata esse certum videtur. Sed scriptum est huius orationis §. 83. *εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσετε, καλῶς ἂν ἔχοι τῇ πόλει.* Hortatur igitur Rhetor iudices ut nunc demum bonorum publicandorum poenam irrogent, quod haud dubie pridem factum erat.

Haec de Trigintaviris in universum; videamus de uno Eratosthene. Inaudita quaedam de eo narrantur §. 54: urbis cives Eratosthenem et Phidonem urbe non expulisse ipsumque Phidonem fuisse in Decemviris, qui Trigintaviris suffecti sunt. Notandum quidem omnes scriptores summo tradere consensu, omnes Trigintaviros ab iis qui urbem tenebant expulsos Eleusinem concessisse et parum verosimile esse, unum ex Trigintaviris, caeteris urbe pulsis, non eiectum esse veniamque meruisse, alterum etiam Decemvirum creatum esse. Sed haec falsa esse demonstrare nequeo; eum vero, cuius inania somnia discutio, haec de Eratosthene finxisse existimo, quo opportunius in Decemviros declamitare posset; memoria vero lapsum Phidoni tribuisse quae fuerunt Rhinonis, principis Decemvirorum. Sed non reputavit suae causae ipsum se hac ratione nocere. Ambo enim, et Phido et Eratosthenes, principes facti factionis *τῶν ἐξ ἄστεος*, foederis lege salvi erant adeoque a Lysia hac quidem oratione utenti accusari non potuerunt. Archini enim rogatu lex perlata erat, ut, si quis discordiarum oblivione sempiterna delendarum memoriam renovasset, reus prior causam ageret eaque uti posset exceptione, de qua Isocr. in Callim. c. I. De qua nihil quicquam in hac oratione legitur. In fine adiiciam Lysiae, qui fertur, verba in Orat. in Theomn. §. 31. *μόνος, ἐπειδὴ τάχιστα ἐδοκιμάσθην, ἐπεξῆλθον τοῖς τριάκοντα ἐν Ἀρείῳ πάγῳ.* Haec si scripsit Lysias, unum illum ignotum hominem Trigintaviros in iudicio persecutum esse, ipse nos docet se orationem in eos non habuisse. Sed non scripsit, quaternis enim locis citatis subdit Harpocratio: *εἰ γνήσιος ὁ λόγος* (1).

(1) Nullum dubium quin oratio sit spuria. Scriptum est §. 4. patrem accusatoris a Trigintaviris e medio sublatum

Laetus ex his angustiis gradum profero. Fac fieri potuisse ut et actor accusaret et reus accusaretur. Accedendum ad ipsam orationem. Argumentorum hinc petendorum ipsa copia facit inopiam, ut ipsis illis verbis, quibus ignobilis aliquis rhetor ineptiis hisce praelusit: *οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι τῆς κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι*, hanc disputationis partem exordiri possis. Sed quum modus harum commentationum legitimus servandus sit, potissima selegi argumenta, eaque trifariam dispertita, prouti scriptor huius orationis mihi neque rerum veritatis et proprietatis rationem habuisse nec ad historiae fidem scripsisse neque verba linguae legibus sermonisve norma adstrinxisse visus est.

Hoc quidem lectorem vel obiter orationem perlegentem raptimque percurrentem latere non potest, quam parum ipse orator noverit, nedum alios docuerit, utrum unum Eratosthenem an plures reos persequatur. Nil mirum oratorem in Eratosthene accusando oblata usum esse occasione invehendi quam acerrime in omnes Trigintaviros, imo vero cupide usum esse congruum, neque in his substitit noster; sed opportunitatem nactus Decemviros suffectos, et Theramenem omnes pariter insectatus est, nec eos qui Eratostheni in iudicio aderant, et causidici et testes, sine calumnia transmisit. Sed in his non fecit, quod parum caute in Trigintaviris admisit, quos per totam orationem non minus quam Eratosthenem praesentes finxit, et ab uno exorsus, mox ad plures delapsus, rursus ad unum Eratosthenem regressus est, unde ridicula nata est numerorum confusio. Quod indicio est orationem non habitam sed a rhetore ludente, ficta causa, conscriptam esse. Scripsit §. 1. Trigintavirorum nondum mentione facta: *τοιαῦτα — αὐτοῖς εἴργασται*, et *τῶν φευγόντων* §. 2. Sed §. 3. *ἐγὼ — ἠνάγκασμαι ὑπὸ τῶν γεγενημένων τουτου (τουτουΐ) κατηγορεῖν*, Eratosthenis nomine non addito. Rursus §. 22. *εἰς τοσοῦτόν εἰσι τόλμης ἀφιγμένοι, ὥσθ' ἥκουσιν ἀπολογησόμενοι, κτέ.* Ad Eratosthenem §. 34. *θαυμάζω δὲ τί ἄν ποτε ποιήσαις συνειπών, ὁπότε ἀντειπεῖν φάσκων ἀπέκτεινας Πολέμαρχον· φέρε δή· τί ἂν εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτύχετε αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς; ἀπεψηφίσασθε;* Haec ad Trigintaviros, ad quos §. 35. 36. 37. Sed §. 38. *οὐ γὰρ δὴ οὐδε τοῦτο αὐτῷ προσήκει ποιῆσαι.* §. 39. *κελεύετε αὐτὸν ἀποδεῖξαι ὅπου τοσούτους τῶν πολεμίων ἀπέκτειναν.* §. 51. 52. Ita *τούτου καταψηφιεῖσθε* §. 90 et §. 92. Sed *τούτων ἀποψηφισαμένους* §. 91. Plura cumulare non opus. Et eadem ratione in §. 62.

---

esse, quum ipse tertium decimum ageret aetatis annum. Igitur quinto demum anno post Trigintaviros hoc crimine accusatos esse statuendum. Quod absurdum. Alterum quoque dubitationem movet. Num licuit ephebo, statim post *δοκιμασίαν* accusatori esse? Puto, anno demum vicesimo. Hoc loco examinandus locus in Oratione in Theocrinem, quam nonnulli inter veteres Demostheni tribuerunt, alii Dinarcho. Legitur p. 1342. *Ἀριστοκράτης ὁ Σκελλίου, θεῖος ὢν Ἐπικράτους — πολλὰ καὶ καλὰ διαπραξάμενος ἔργα, πολεμούσης τῆς πόλεως Λακεδαιμονίοις, κατασκάψας τὴν Ἠετιώνειαν, εἰς ἣν τοὺς Λακεδαιμονίους ἤμελλον οἱ περὶ Κριτίαν ὑποδέχεσθαι, καθεῖλε μὲν τὸ ἐπιτείχισμα, κατήγαγε δὲ τὸν δῆμον.* Athenis nemo, puto, *τοὺς περὶ Κριτίαν* alios habuit quam Trigintaviros. Haec vero, Quadringentis rerum potitis, facta sunt v. Thuc. VIII. 92. qui in harum rerum narratione nusquam Critiae mentionem fecit. Non nego Critiam Quadringentis favisse; imo haud dubie favit, sed non magnae eius fuerunt partes in republica eo quidem tempore. Antiphonti amicissimum fuisse Critiae patrem, Callaeschrum intelligitur ex Plut. t. II. p. 833. A. *ἐγένετο γὰρ Ἀντιφῶντι θυγάτριον, οὗ Κάλλαισχρος ἐπεδικάσατο.* Et Callaeschrum cum Pisandro in Quadringentis recenset Orationis in Eratosthenem scriptor §. 66. cui hac in re fidem negare nolo. Sed, quod dixi, *οἱ περὶ Κριτίαν* sunt Trigintaviri. Alia quoque notanda. Murum illum in Piraeeo recte dixit Thucydides *τεῖχος; ἐπιτείχισμα* non dicendus est. Et *κατασκάψας Ἠετιώνειαν* ineptum est. Est enim *χηλὴ τοῦ Πειραιῶς ἡ Ἠετιώνεια καὶ παρ' αὐτὴν εὐθὺς ὁ ἔσπλους ἐστίν* Thuc. VIII. 90. Igitur exscindi non potuit neque excisa est. Nec alia desunt argumenta, quibus demonstrari potest hanc orationem spuriam esse.

μηδενὶ τοῦτο παραστῇ ὡς, Ἐρατοσθένους κινδυνεύοντος, Θηραμένους κατηγορῶ· πυνθάνομαι γὰρ ταῦτα ἀπολογήσεσθαι αὐτόν, ὅτι ἐκείνοις φίλος ἦν καὶ τῶν αὐτῶν ἔργων μετεῖχε. Ubi ἐκείνοις redit ad Θηραμένους. Quam supinam scriptoris negligentiam equidem corrigi nolim.

In Lysiam non congruunt verba §. 3. ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας, νῦν ἠνάγκασμαι ὑπὸ τῶν γεγενημένων τούτου κατηγορεῖν. Lysias, qui per totam vitam orationes scripsit, quibus uterentur actores et rei, dici nequit neque sua nec aliena negotia gessisse. Rhetoris mens est Lysiam neque suam neque aliorum causam ullam coram iudicibus orasse, ut scripsit §. 4. καὶ οὐδενὶ πώποτε οὔτε ἡμεῖς οὔτε ἐκεῖνος δίκην οὔτε ἐδικασάμεθα οὔτε ἐφύγομεν. Sed haec sententia Graecis non inest.

§. 16. ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀρχένεω τοῦ ναυκλήρου ἐκεῖνον πέμπω εἰς ἄστυ, πευσόμενον περὶ τοῦ ἀδελφοῦ. Archeneos non in urbem sed in Piraeeum mittendus erat. Ibi enim habitabat Polemarchus. v. Plat. Reip. I. 328. B.

§. 18. Quomodo omnia, quae in caede Polemarchi facta erant, scire potuit Lysias absens, inprimis quae narrantur §. 19. Saltem testes proferendi erant. Sed noster testes profert de rebus quas nemo ignorabat v. §. 61., nullos vero de rebus, quas pauci vel nemo compertas habere potuit. Quod specie quadam veri excusare studet §. 33.

§. 24. ἀναβιβασάμενος δ' αὐτὸν βούλομαι ἐρέσθαι. — ἀνάβηθι οὖν μοι καὶ ἀπόκριναι ὅτι ἄν σε ἐρωτῶ. In Oratione in Agoratum §. 30. tantum ἀπόκριναι δή μοι, nullae vero quaestiones aut responsa addita sunt, sed lacuna, ut in testimoniis allatis. Hic vero §. 25. Eratosthenis responsa inserta sunt, quem quodlibet respondentem facere potuit Orator. Dignum hoc Platone, qui ut in dialogis, ita in Apologia quam Socrati tribuit fictitiam p. 18. D. Meletum accusatorem, iussum a reo in suggestum prodire, quaestionibus ad incitas redegit, ut Socrates in fine gloriabundus subiicere potuerit: ὁρᾷς, ὦ Μέλητε, ὅτι σιγᾷς καὶ οὐδὲν ἔχεις εἰπεῖν. Alterum huius rei exemplum apud Lysiam in Orat. XXII. 5. καὶ πρῶτον μὲν ἀνάβηθι καὶ εἰπὲ σὺ ἐμοί, μέτοικος εἶ; responsis additis. Quo et ipsa haec oratio mihi suspecta est (1).

§. 34. ῥᾳδίαν ὑμῖν τὴν διαψήφισιν περὶ αὐτοῦ πεποίηκε. Iudicum de reo est κρίσις.

§. 36. οὐκ ἄρα χρὴ αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας ὑφ' ὑμῶν ταῖς ἐσχάταις ζημίαις κολάζεσθαι. Iterum §. 83. εἰ αὐτοὺς ἀποκτείνοιτε καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν. Hoc nimium, nec Athenis liberi morte luebant poenas facinorum a parentibus patratorum.

§. 89. τῶν ἄλλων Ἑλλήνων πλεῖστα εἰς ὑμᾶς ἐξημάρτηκεν Ἐρατοσθένης. Hoc Athenis a nemine dici potuit.

§. 98. οὔτ' ἂν ἱερὰ οὔτε βωμοὶ ὑμᾶς ἀδικουμένους διὰ τοὺς τούτων τρόπους ὠφέλησαν, ἃ καὶ τοῖς ἀδικοῦσι σωτήρια γίνεται. Antitheti studio ductus Rhetor scripsit minus vera. Sontibus enim, qui ad aras confugerant, nullum ibi praesidium. Cf. Thuc. IV. 98. τῶν ἀκουσίων ἀδικημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς. Lysiam minus accurate locutum censuit Schoemann. Antiq. p. 376. 15.

---

(1) Oratio non est multorum versuum. Igitur numero pauca sunt argumenta, quibus mihi constat hanc orationem spuriam esse. Attici non utuntur vocabulo σιτοπῶλαι sed σιτῶναι idque proprie, ut intelligitur ex verbis quibus de iis utitur Rhetor συνωνεῖσθαι τὸν σῖτον §. 6. et συμπρίασθαι §. 7 Rhetor §. 2. memorat τινὰς τῶν ῥητόρων §. 2. Novi oratores in comitiis, in senatu non item, quum senatores sorte legerentur. §. 7. οὗτος μὲν ὁμολογεῖ — ψεύδονται. Unde repente numeri mutatio? Et quaestiones in Dardanarios mihi Romanorum imperii aetatem referre videntur.

§. 98. *οἱ δ' ἐπὶ ξένης μικρῶν ἂν ἕνεκα συμβολαίων ἐδούλευον ἐρημίᾳ τῶν ἐπικουρησόντων.* Apud Graecos debitores, qui solvendo non erant, creditoribus addictos fuisse nemodum inaudivit.

§. 99. *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, ἃ οὗτοι τὰ μὲν ἀπέδοντο, τὰ δ' εἰσιόντες ἐμίαινον.* Fana et delubra vendidisse Trigintaviros quis credere possit?

§. 4. *οὑμὸς πατὴρ Κέφαλος ἐπείσθη μὲν ὑπὸ Περικλέους εἰς ταύτην τὴν γῆν ἀφικέσθαι.* Hoc parum credibile.

§. 7. *ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς* (*τοῖς τριάκοντα*) *δέκα συλλαβεῖν* (*μετοίκους*), *τούτων δὲ δύο πένητας.* Diversa tradit Xen. Hist. Gr. II. 3. 21. *ἔδοξε δ' αὐτοῖς — τῶν μετοίκων ἕνα ἕκαστον λαβεῖν, καὶ αὐτοὺς μὲν ἀποκτεῖναι, τὰ δὲ χρήματα αὐτῶν ἀποσημήνασθαι.* II. 3. 40. Triginta igitur fuerunt inquilini.

§. 42. *ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐν τῷ στρατοπέδῳ ὀλιγαρχίαν καθιστὰς ἔφευγεν ἐξ Ἑλλησπόντου, τριήραρχος καταλιπὼν τὴν ναῦν μετ' Ἰατροκλέους καὶ ἑτέρων, ὧν τὰ ὀνόματα οὐδὲν δέομαι λέγειν.* Seditio in castris, qua reipublicae forma democratica eversa, facta est in insula Samo, non in Hellesponto. Thuc. VIII. 47. *ἀπὸ σφῶν αὐτῶν οἱ ἐν τῇ Σάμῳ τριήραρχοί τε τῶν Ἀθηναίων καὶ οἱ δυνατώτατοι, ὥρμηντο ἐς τὸ καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν. καὶ ἐκινήθη πρότερον ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ ἐς τὴν πόλιν ἐντεῦθεν ὕστερον.* Igitur castra navalia erant Sami, Strombichides viginti quatuor navibus Chio in Hellespontum navigavit, v. Thuc. VIII. 62. 79. Sed si forte Eratosthenes paucos milites in paucorum imperii studium pertraxit, quod parum probabile, quum Strombichides oligarchiae non faveret, v. Lysias in Nicomach. §. 14., dici nequit seditionem in castris movisse. Caeterum *καθιστὰς ἔφευγεν* vitiosum est pro *καταστήσας ἔφυγεν.*

§. 43. *δημοκρατίας ἔτι οὔσης, πέντε ἄνδρες ἔφοροι κατέστησαν ὑπὸ τῶν καλουμένων ἑταίρων, συναγωγεῖς μὲν τῶν πολιτῶν, ἄρχοντες δὲ τῶν συνωμοτῶν, ἐναντία δὲ τῷ ὑμετέρῳ πλήθει πράττοντες· ὧν Ἐρατοσθένης καὶ Κριτίας ἦσαν.* In horum numero Critias esse non potuit. Erat enim exsul. Xen. Hell. II. 3. 15. *Κριτίας μὲν προπετὴς ἦν ἐπὶ τὸ πολλοὺς ἀποκτεῖναι, ἅτε καὶ φυγὼν ὑπὸ τοῦ δήμου, ὁ δὲ Θηραμένης ἀντέκοπτε.* II. 3. 36. Urbe autem a Lacedaemoniis in deditionem accepta exsules demum redierunt. Xen. Hell. II. 2. 20.

§. 65. *ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ* (Theramenis) *τῶν προβούλων ὢν ταῦτ' ἔπραττεν, αὐτὸς δὲ δοκῶν εὐνούστατος εἶναι τοῖς πράγμασι στρατηγὸς ὑπ' αὐτοῦ ᾑρέθη.* Theramenis pater Hagno, democratiae studiosus, ut intelligitur ex Critiae verbis in Theramenem Xen. Hell. II. 3. 30. *οὗτος γὰρ ἐξ ἀρχῆς μὲν τιμώμενος ὑπὸ τοῦ δήμου, κατὰ τὸν πατέρα Ἅγνωνα*, Periclis in praetura collega, Thuc. II. 58. dudum mortuus erat. Amphipoli enim a Brasida capta, Amphipolitani monumenta Hagnonis conditoris urbis disiecerunt. v. Thuc. V. 11.

§. 66. *ἐπειδὴ δὲ Πείσανδρον μὲν καὶ Κάλλαισχρον καὶ ἑτέρους ἑώρα πραοτέρους αὐτοῦ γινομένους.* Pisander postea minus infestus imperio populi quam Theramenes fuisse traditur. Quod falsum. v. Thuc. VIII. 96. Aut *ἄλλους* aut *τοὺς ἑτέρους* scribendum erat. Ut et §. 42.

§. 73. *ἀναστὰς δὲ Θηραμένης ἐκέλευσεν ὑμᾶς τριάκοντα ἀνδράσιν ἐπιτρέψαι τὴν πόλιν.* Theramenes acerrime huic ipsi consilio adversatus est. v. Diodor. Sic. XIV. 3. cui hac in re maior fides mihi habenda videtur. Sed de Theramene alio loco explicatius dicam. Interim demonstrasse iuvat, omnia quae hactenus Lysiae de eius moribus ingenio rebusque gestis credideramus, inepta esse mendacia et inanes calumnias. Nunc sermonem videamus.

§. 1. *τοιαῦτα αὐτοῖς τὸ μέγεθος καὶ τοσαῦτα τὸ πλῆθος εἴργασται.* Attici semper, ni memoria fallit, dicunt *τηλικαῦτα τὸ μέγεθος*, quod unice rectum. Sed saepius scriptor huius orationis, Lysiacae dictionis specie affectata, antithesin quandam aut parilitatem soni et verborum formae, non sententiae et rerum cupide quaesivit, legibus linguae et usus norma insuper habitis. Et *αὐτοῖς* ineptum, nulla iam Trigintavirorum mentione facta. Est qui *τούτοις* scriptum voluit. Saltem *τουτοισί* scribendum. Sed nihil opus.

§. 2. *τοὐναντίον δέ μοι δοκοῦμεν πείσεσθαι ἢ ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ.* Dicendum fuerat: *πάσχειν.* Quae addita sunt de hac diversa ratione, ineptissima.

§. 2. *οὐ μέντοι ὡς οὐκ ἔχων οἰκείας ἔχθρας καὶ συμφορὰς τοὺς λόγους ποιοῦμαι, ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι.* Haec nemo intelligere potest, explicuerunt et interpretati sunt complures.

§. 3. *εἰς πολλὴν ἀθυμίαν κατέστην μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἀναξίως καὶ ἀδυνάτως ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐμαυτοῦ τὴν κατηγορίαν ποιήσωμαι· ὅμως δὲ πειράσομαι ὑμᾶς ἐξ ἀρχῆς ὡς ἂν δύνωμαι δι' ἐλαχίστων διδάξαι.* Verbo *ἀναξίως* vix ullo, *ἀδυνάτως* plane nullo sensu usus est. Deinde *διδάξαι*, quid? Tandem *δι' ἐλαχίστων* nemo Atticus dixit pro *διὰ βραχυτάτων.*

§. 4. *ἀλλ' οὕτως ᾠκοῦμεν δημοκρατούμενοι, ὥστε μήτε εἰς τοὺς ἄλλους ἐξαμαρτάνειν μήτε ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀδικεῖσθαι.* Universa civitas *δημοκρατεῖται*, sed quatuor tresve inquilini dici non possunt *οἰκεῖν δημοκρατούμενοι.* Praeterea *μετῴκησε* et *μετῳκοῦμεν* scribendum fuerat.

§. 5. *οἱ τριάκοντα — τοιαῦτα λέγοντες οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων, ὡς ἐγὼ περὶ τῶν ἐμαυτοῦ πρῶτον εἰπὼν καὶ περὶ τῶν ὑμετέρων ἀναμνῆσαι πειράσομαι.* Post *περὶ τῶν ἐμαυτοῦ* non inferendum *καὶ περὶ τῶν ὑμετέρων.* Recte dicitur *ἃ — ὑμᾶς ἀναμνῆσαι*, sed *ὡς ἀναμνῆσαι* vix rectum est.

§. 6. *πάντως δὲ τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι τὴν ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων.* Vitia sermonis non descriptoribus, sed scriptori tribuam. Graece enim dici possit: *ἐγένετο δὲ τὴν πόλιν δεῖσθαι χρημάτων.* Sed *τὴν ἀρχὴν* nonnisi negandi particula addita legere me memini.

§. 7. *ἀποκτιννύναι μὲν γὰρ ἀνθρώπους περὶ οὐδενὸς ἡγοῦντο, λαμβάνειν δὲ χρήματα περὶ πολλοῦ ἐποιοῦντο.* Correctum est *παρ' οὐδὲν ἡγοῦντο*, ut constans fert sermonis usus. Quem parum curasse videtur scriptor, modo paria paribus responderent.

§. 8. *διαλαβόντες δὲ τὰς οἰκίας ἐβάδιζον. καὶ ἐμὲ μὲν ξένους ἑστιῶντα κατέλαβον, οὓς ἐξελάσαντες Πείσωνί με παραδιδόασιν· οἱ δὲ ἄλλοι εἰς τὸ ἐργαστήριον ἐλθόντες τὰ ἀνδράποδα ἀπεγράφοντο.* Omnes Trigintaviri *ἐβάδιζον.* Sed pars tantum, qui Lysiae domum sortiti erant, *κατέλαβον.* Igitur haec parum concinne scripta. Vitiosum est *ἀπεγράφοντο* pro *ἀπέγραφον.* Item §. 95. *ἐξητοῦντο* pro *ἐξήτουν.*

§. 9. *ἠπιστάμην μὲν οὖν ὅτι οὔτε θεοὺς οὔτ' ἀνθρώπους νομίζει.* Saepius legitur *θεοὺς νομίζειν.* Sed *ἀνθρώπους νομίζειν* novum est, nec intellectu facile.

§. 10. *εἰσελθὼν εἰς τὸ δωμάτιον τὴν κιβωτὸν ἀνοίγνυμι.* Quid hoc articulo facias?

§. 13. *ἐν τοιούτῳ δ' ὄντι μοι κινδυνεύειν ἐδόκει, ὡς τοῦ γε ἀποθανεῖν ὑπάρχοντος ἤδη.* Graece dicitur: *ἐν τοιούτοις.* Hoc ipsum vero, quod audendum decreverat Lysias, est, quod amicum rogavit ut sibi opem ferret. Familiarem enim Lysiae fuisse Damnippum patet ex §. 15. *ἔμπειρος γὰρ ὢν ἐτύγχανον τῆς οἰκίας*, quod non recte dictum videtur.

§. 14. σὺ οὖν ταῦτα πάσχοντί μοι πρόθυμον παρασχοῦ τὴν σεαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν. ὁ δ' ὑπέσχετο ταῦτα ποιήσειν. Adiectivum πρόθυμος de homine recte dicitur, sed cum δύναμιν male coniunctum. ταῦτα ποιήσειν pro τοῦτο adamasse videtur noster qui supra §. 9. ἐγὼ δὲ Πείσωνα μὲν ἠρώτων, εἰ βούλοιτό με σῶσαι χρήματα λαβών· ὁ δ' ἔφασκεν, εἰ πολλὰ εἴη· εἶπον οὖν ὅτι τάλαντον ἀργυρίου ἕτοιμος εἴην δοῦναι· ὁ δ' ὡμολόγησε ταῦτα ποιήσειν. Quae negligenter quidem scripta, sed non corrigenda sunt.

§. 14. ἐδόκει δ' αὐτῷ βέλτιον εἶναι πρὸς Θέογνιν μνησθῆναι. Desideratur rei mentio, cuius πρὸς Θέογνιν ἐμνήσθη.

§. 16. ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀρχένεω τοῦ ναυκλήρου, ἐκεῖνον πέμπω εἰς ἄστυ, πευσόμενον περὶ τοῦ ἀδελφοῦ. ἥκων δὲ ἔλεγεν ὅτι Ἐρατοσθένης αὐτὸν ἐν τῇ ὁδῷ λαβὼν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαγάγοι. ἥκων non intelligo; λαβὼν parum aptum videtur; rectius §. 30. ἐν τῇ ὁδῷ συλλαβὼν ἀπήγαγεν.

§. 19. εἰς τοσαύτην ἀπληστίαν καὶ αἰσχροκέρδειαν ἀφίκοντο. Graece dicitur: εἰς τοσοῦτον ἀπληστίας.

§. 21. πολλοὺς ἀδίκως ἀποκτείναντες ἀτάφους ἐποίησαν, πολλοὺς δ' ἐπιτίμους ὄντας ἀτίμους τῆς πόλεως κατέστησαν. Mire dictum: ἄταφον ποιεῖν τινα et ἄτιμον τῆς πόλεως.

§. 23. τὸν ἀδελφὸν γάρ μου (ὥσπερ καὶ πρότερον εἶπον) Ἐρατοσθένης ἀπέκτεινεν. Verba parenthesi inclusa insulse addita, neque tamen delenda sunt.

§. 27. καὶ μὴν οὐδὲ τοῦτο εἰκὸς αὐτῷ πιστεύειν, εἴπερ ἀληθῆ λέγει φάσκων ἀντειπεῖν ὡς αὐτῷ ἐτάχθη. οὐ γὰρ δήπου ἐν τοῖς μετοίκοις πίστιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον. ἔπειτα τῷ ἧσσον εἰκὸς ἦν προσταχθῆναι ἢ ὅστις ἀντειπών τε ἐτύγχανεν καὶ γνώμην ἀποδεδειγμένος; Pro ἐτάχθη corrigunt προσετάχθη. Sequentia πίστιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον non intelligo, nec corrigendo quicquam proficimus. Ultima γνώμην ἀποδεδειγμένος aut omittenda aut ἐναντίαν addendum fuisset.

§. 29. εἰ μὲν γάρ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἀρχὴ ἰσχυροτέρα αὐτῆς, ὑφ' ἧς αὐτῷ προσετάττετο παρὰ τὸ δίκαιον ἀνθρώπους ἀπολλύναι. Verbis ἀρχὴ ἰσχυροτέρα alienam tribuit vim: *magistratus maiore imperio.* Quid Graece his verbis dicatur, patet ex dictione ἰσχυρῶς ἄρχειν. Male dictum est ἀνθρώπους ἀπολλύναι, nisi oppositum σώζειν ut §. 31.

§. 30. σώζων αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα. Mirus verbi σώζειν usus, cuius vim non capio.

§. 32. χρῆν δέ σε, ὦ Ἐρατόσθενες, εἴπερ ἦσθα χρηστὸς κτέ. In singulis criminibus inculcat rhetor quid Eratostheni et Trigintaviris faciendum fuisset, si frugi homines essent, ut §. 47. 48. εἴπερ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός, ἐχρῆν ἂν κτέ. Quae omnibus vaniloquentiae numeris absoluta sunt.

§. 33. οὐ γὰρ μόνον ἡμῖν παρεῖναι οὐκ ἐξῆν (Trigintavirorum facinoribus) ἀλλ' οὐδὲ παρ' αὐτοῖς εἶναι. Num hoc est: domi et in patria esse? Nusquam alibi hoc quidem sensu dictum offendi.

§. 35. πράξαντες μὲν ὧν ἐφίενται τύραννοι τῆς πόλεως ἔσονται, δυστυχήσαντες δὲ τὸ ἴσον ὑμῖν ἕξουσιν. Vitiosum est δυστυχήσαντες, ut et §. 98. εἰ δὲ ἐδυστυχήσατε καὶ τούτων ἡμάρτετε. Scribendum erat: οὐ τυχόντες.

§. 38. ἐν τῇδε τῇ πόλει εἰθισμένον ἐστὶ, πρὸς μὲν τὰ κατηγορημένα μηδὲν ἀπολογεῖσθαι κτέ. Aeque vitiosum atque §. 17. τὸ ἐπ' ἐκείνων εἰθισμένον παράγγελμα. Hoc loco ἐθίζειν non aptum, sed ἔθος et εἰωθέναι.

§. 40. ὑμῖν ἐδήλωσαν ὅτι οὐδὲ τὸν Πειραιᾶ Λακεδαιμονίων προςταττόντων περιεῖλον, ἀλλ' οἷς αὐτοῖς τὴν ἀρχὴν οὕτω βεβαιοτέραν ἐνόμιζον εἶναι. Graece dicitur: τοῦ Πειραιῶς τὰ τείχη περιελεῖν ut §. 70. (1) In fine non recte procedit oratio. Vitium tollere possis scribendo: ἀλλ' ὅτι αὐτοῖς.

§. 44. ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε, ὅπως μήτ' ἀγαθὸν μηδὲν ψηφίσαισθε, πολλῶν τε ἐνδεεῖς ἔσεσθε. Haec ultima quid valeant, nescio.

§. 48. εἰς τὴν ἀρχὴν καταστὰς ἀγαθοῦ μὲν οὐδενὸς μετέσχεν, ἄλλων δὲ πολλῶν. Scriptum oportuit: ἑτέρων. Finge scriptum fuisse κακῶν; magis etiam perspicuum erit non hoc dici, quod dicendum erat: Eratosthenem nihil cum collegis gessisse, quod e republica esset, sed aliud idque ab hoc loco alienum: Eratosthenem nullum commodum ex magistratu gesto percepisse.

§. 53. πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι ὡς ἀμφότεροι ἔδοξαν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ Πειραιῶς κρείττους ὄντες εἴασαν αὐτοὺς ἀπελθεῖν· οἱ δὲ εἰς τὸ ἄστυ ἐλθόντες τοὺς μὲν τριάκοντα ἐξέβαλον. αὐτοὶ sunt οἱ ἐξ ἄστεος, quorum mentio nulla iam facta.

§. 55. Φείδων ὁ τῶν τριάκοντα γενόμενος καὶ Ἱπποκλῆς καὶ Ἐπιχάρης ὁ Λαμπτρεὺς — ἐπειδὴ αὐτοὺς εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, πολὺ μείζω στάσιν καὶ πόλεμον ἐπὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ ἢ τοῖς ἐξ ἄστεος ἐποίησαν. In alio scriptore αὐτοὺς delendum putarem. Alterum errorem ne huic quidem scriptori relinquere ausim. Phido caeterique fuerunt duces eorum qui urbem tenebant. Igitur in factionem ipsam cui praeerant bellum excitaverunt. Collata §. 57. λαβόντες γὰρ τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πόλιν ἀμφοτέροις ἐπολέμουν τοῖς τε τριάκοντα πάντα κακὰ εἰργασμένοις καὶ ὑμῖν πάντα κακὰ πεπονθόσι, rhetor videri possit urbanorum factionem errore substituisse Trigintaviris. Sed corrigenda potius verba, et scribendum: πολὺ μείζω τὴν στάσιν καὶ τὸν πόλεμον ἐπὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐξ ἄστεος ἐποίησαν.

§. 57. οὐ γὰρ δὴ ἑτέρων ἔργων αἰτίαν λαβόντες ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεσον, ἀλλὰ τούτων. i. e. eorundem quae Decemviri fecerunt. Quod lectoribus divinandum relinquitur.

§. 58. ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔπειθεν αὐτοὺς στρατεύσασθαι, διαβάλλων ὅτι Βοιωτῶν ἡ πόλις ἔσται. οὐ δυνάμενος δὲ τούτων τυχεῖν, εἴτε καὶ τῶν ἱερῶν ἐμποδὼν ὄντων κτέ. Vis verbi διαβάλλειν longe alia est, quam quae hoc loco idoneum praebeat sensum. Pro τούτων scribendum τούτου.

§. 60. μισθωσάμενοι δὲ πάντας ἀνθρώπους. Hoc ridiculum.

§. 62. μηδενὶ τοῦτο παραστῇ ὡς Ἐρατοσθένους κινδυνεύοντος Θηραμένους κατηγορῶ. Mens rhetoris est: *nemini vestrum hoc mirum videatur.* Sed scripsit: *nemini vestrum hoc in mentem veniat.* Cf. Thuc. IV. 95. παραστῇ δὲ μηδενὶ ὑμῶν ὡς ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ οὐ προσῆκον τοσόνδε κίνδυνον ἀναρρίπτομεν. Ab actore reum dici posse κινδυνεύοντα non credo.

§. 63. σφόδρ' ἂν οἶμαι αὐτὸν μετὰ Θεμιστοκλέους πολιτευόμενον προσποιεῖσθαι πράττειν ὅπως οἰκοδομηθήσεται τὰ τείχη, ὁπότε καὶ μετὰ Θηραμένους ὅπως καθαιρεθήσεται· οὐ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι· ὁ μὲν γὰρ Λακεδαιμονίων ἀκόντων ᾠκοδόμησεν αὐτά, οὗτος δὲ τοὺς

---

(1) Librariorum mendum tollendum in Xen. Hell. II. 2. 20. ἐποιοῦντο εἰρήνην — ἐφ' ᾧ τά τε μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ καθελόντας καὶ τὰς ναῦς πλὴν δώδεκα παραδόντας — Λακεδαιμονίοις ἕπεσθαι; cf. IV. 8. 9. συνανασστήσει τά τε μακρὰ τείχη τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τὸ περὶ τὸν Πειραιᾶ τεῖχος.

πολίτας ἐξαπατήσας καθεῖλε. Haec ineptissima nulloque plane sensu aut cum anterioribus vinculo inserta quorsum spectent non intelligo. Scriptoris menti obversata fuisse videntur verba Cleomenis apud Plut. Lysand. XIV. ὅτε καὶ φασὶν ὑπὸ τῶν νέων τινὸς δημαγωγῶν Κλεομένους ἐρωτώμενον (Theramenem), εἰ τολμᾷ τἀναντία Θεμιστοκλεῖ πράττειν καὶ λέγειν, παραδιδοὺς τὰ τείχη τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἃ Λακεδαιμονίων ἀκόντων ἐκεῖνος ἀνέστησεν, εἰπεῖν κτέ.

§. 64. νῦν δὲ ὁρῶ τάς τε ἀπολογίας εἰς ἐκεῖνον ἀναφερομένας τοὺς τ' ἐκείνῳ συνόντας τιμᾶσθαι πειρωμένους. Dicunt Graeci: αἰτίαν ἀναφέρειν, σύγγραμμα ἀναφέρειν εἴς τινα. i. e. ad aliquem auctorem referre. Igitur Theramenes mortuus orationem scripsit qua Eratosthenes usurus est. Vitium vitio cumulatum §. 81. κατηγορεῖτε δὲ Ἐρατοσθένους καὶ τῶν τούτου φίλων, οἷς τὰς ἀπολογίας ἀνοίσει. Ubi nolim scribi: εἰς οὕς.

§. 71. ἐπεδήμησε δὲ τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον. De exercitu regionem invadente et occupante ἐπιδημεῖν parum recte dictum videtur.

§. 77. φροντίζων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων. Haec nullo cum superioribus vinculo cohaerent.

§. 81. κατηγορεῖτε δὲ Ἐρατοσθένους. Haec ad iudices dicta. Emendationem Bakii V. Cl. κατηγόρηται in alio quovis scriptore veram haberem. Sed ab hoc homine nullum equidem sermonis vitium alienum puto.

§. 81. ὁ μέντοι ἀγὼν οὐκ ἐξ ἴσου τῇ πόλει καὶ Ἐρατοσθένει. οὗτος μὲν γὰρ κατήγορος καὶ δικαστὴς ἦν τῶν γινομένων, ἡμεῖς δὲ νυνὶ εἰς κατηγορίαν καὶ ἀπολογίαν καθέσταμεν. Verborum κατήγορος τῶν γινομένων nulla apta sententia.

§. 83. καλῶς ἂν ἔχοι ἢ τῇ πόλει, ἧς οὗτοι πολλὰ εἰλήφασιν, ἢ τοῖς ἰδιώταις, ὧν τὰς οἰκίας ἐξεπόρθησαν. Sermonis Attici est: ὑφῄρηνται et κατέσκαψαν.

§. 84. 85. τοσοῦτον ὑμῶν καταπεφρόνηκεν ἢ ἑτέροις πεπίστευκεν. ὧν ἀμφοτέρων ἄξιον ἐπιμεληθῆναι. Graecus, qui quidem Graece sciret, scripsisset: ὧν ἀμφοτέρων ὑμῖν μέλειν δεῖ.

§. 86. πότερον ὡς καλοὶ κἀγαθοὶ αἰτήσονται, τὴν αὑτῶν ἀρετὴν πλείονος ἀξίαν ἀποφαίνοντες τῆς πονηρίας, ἢ ὡς δεινοὶ λέγειν ἀπολογήσονται. Ut commodi sensus species verbis his adderetur, Marklandus scripsit: τῆς τούτων πονηρίας. Sed singulorum et universae sententiae nullus sensus; αἰτήσονται vitiosum est.

§. 87. διὰ μὲν τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀδεῶς ἡγοῦνται τοὺς τριάκοντα σώσειν. i. e. δημοκρατίας οὔσης. Parum Graece.

§. 88. ἐκεῖνοι δέ, οὓς οὗτοι ἀπώλεσαν, τελευτήσαντες τὸν βίον, πέρας ἔχουσι τῆς παρὰ τῶν ἐχθρῶν τιμωρίας. Recte quidem dicitur: δίκην λαμβάνειν παρά τινος, sed recte dici ἡ παρά τινος δίκη non puto. Neque magis ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν τιμωρία (1). Diversa plane vi legitur §. 96. ἡγούμενοι τὴν αὑτῶν ἀρχὴν βεβαιοτέραν εἶναι τῆς παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίας, in quibus linguae leges violatae. Sensus enim: putantes imperium suum firmius esse quam quod a diis iratis everti possit. Graeci post comparativum hoc sensu utuntur verbo et particulis ἢ ὡς. Praeterea πέρας ἔχειν τῆς τιμωρίας longe alio sensu Graecis dictum fuisse videtur, quam quo noster usus est. Sententia verborum subsequentium absurda.

---

(1) Demosth. de Coron. p. 229. τὰ μὲν οὖν κατηγορημένα πολλὰ καὶ δεινὰ καὶ περὶ ὧν ἐνίων μεγάλας καὶ τὰς ἐσχάτας οἱ νόμοι τάττουσι τιμωρίας. Corrige: ὑπὲρ ὧν. Idem vitium duobus Lysiae locis sustulit Hamaker. Quaest. Lys. p. 11.

§. 90. *εἰ μὲν γὰρ τούτου καταψηφιεῖσθε, δῆλοι ἔσεσθε ὡς ὀργιζόμενοι τοῖς πεπραγμένοις· εἰ δὲ ἀποψηφιεῖσθε, ὀφθήσεσθε τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες καὶ οὐχ ἕξετε λέγειν ὅτι τὰ ὑπὸ τῶν τριάκοντα προσταχθέντα ἐποιεῖτε.* In alio scriptore *ὡς* delendum foret. Pro *ὀφθήσεσθε* requiritur *φανήσεσθε*. Ultimorum sententia insulsissima, ut eorum quoque quae leguntur §. 91. *μηδ' οἴεσθε κρύβδην τὴν ψῆφον εἶναι· φανερὰν γὰρ τῇ πόλει τὴν ὑμετέραν γνώμην ποιήσετε.*

§. 92. *ὅσοι ἐξ ἄστεός ἐστε.* Ita §. 95. *ὅσοι δ' ἐκ Πειραιῶς ἐστέ.* Qui in bello civili urbem tenebant, dicuntur *οἱ ἐξ ἄστεος*, qui Piraeeum, *οἱ ἐκ Πειραιῶς*. Igitur scripsisse debuit rhetor: *ὅσοι τῶν ἐξ ἄστεος — ὅσοι δὲ τῶν ἐκ Π.* Sed emendationem, qua succurratur sensui, vulgatae non adhibendam puto.

§. 93. *εἰς τοσοῦτον ὑπεροψίας ἐλθόντες, ὥστε οὐ τῶν ἀγαθῶν κοινούμενοι πιστοὺς ὑμᾶς ἐκτῶντο, ἀλλὰ τῶν ὀνειδῶν μεταδιδόντες εὔνους ᾤοντο εἶναι.* His verbis sensus inesse videtur, reapse non inest.

§. 94. *ἐνθυμηθέντες μὲν ὅτι ὑπὸ τούτων πονηροτάτων ὄντων ἤρχεσθε, ἐνθυμηθέντες δὲ ὅτι μετ' ἀνδρῶν νῦν ἀρίστων πολιτεύεσθε.* Adverbium apponendum fuisset verbo *ἤρχεσθε*. Alieno loco insertum *νῦν*.

§. 95. *φεύγοντας δὲ ὑμᾶς ἐκ τῶν πόλεων ἐξῃτοῦντο.* Atticis *αἱ πόλεις* sunt *civitates sociae*.

§. 99. *ὅμως δὲ τῆς ἐμῆς προθυμίας οὐδὲν ἐλλέλειπται ὑπὲρ τῶν ἱερῶν κτἑ.* Mire nec ex more Graecorum haec scripta.

Haec notasse sufficiat. Potuissem alia addere, quibus demonstraretur personatum Lysiam verborum significationis non gnarum fuisse, scribendi artem non calluisse et ne primis quidem literarum rudimentis eruditum fuisse. Sed hoc operosius mihi visum est.

Caeterum non una haec oratio mihi spuria esse videtur, sed complures quoque inter Lysiacas aliae. Ita p. 1. 12. oratione in Agoratum tamquam a Lysia scripta usum me esse et verbis emendationem adhibuisse nunc piget. Quam suppositam esse a Graeculo ludimagistro idoneis argumentis evincam. Antiphonteae omnes et omnes pariter Andocideae orationes spuriae sunt. Quae brevi singula persecuturus sum.